

Rupertus : ipsa enim doctrix fuit apostolorum, cœterorumque fidelium, ideoque assidue meditationi vacabat : mente ergo concipiebat duos fœtus gemellos, scilicet divinitatem et humanitatem filii sui, cujus operationes et mysteria, quæ audiebat et oculis cernebat, perpetuo mente revolvebat et ruminabat juxta illud : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo,* » Luc. cap. ii, vers. 19.

Rursum B. Virgo vitam egit religiosissimam in summa castitate, paupertate et obedientia : nam ipsa mortalium prima virginitatem suam Deo dicavit, itaque prima virginitatis vexillum extulit, quod deinde cœteræ virgines secutæ sunt, uti docet S. Augustinus, *De Virgin.* cap. iv, et S. Bernardus, serm. in illud *Apocal.* cap. xii : *Signum magnum.* Jam paupertatem ejus, et præsepe, et duo puelli columbarum, et cœtera multa demonstrant; obedientiam vero ipsum conjugium, quod eam viro subiciebat cum esset ipsa et sanctitate et sapientia tanto superior, nec merito ad prolem, utpote ex Spiritu sancto concipiendam indigeret, sed tantum ad exercitium obedientiæ.

Quocirca ipsa omnes religiosos ordines, puta Carthusianos, Præmonstratenses, Cistercienses, Dominicanos, Franciscanos, ac societatem Jesu instituit, uti ex annalibus singulorum docet noster Hieronymus Platus, lib. i. *De bon. status relig.* cap. xxxiv; ideoque religiosorum omnium, velut suarum prolium ipsa est tutelarîs et patrona, ut plurimis exemplis declaravit.

Quocirca B. Virgo gemellos edidit fœtus, quia suo exemplo et verbo docuit conservare tam præcepta, quam consilia evangelica. Ita Rupertus.

3° IPSA CUM JOSEPHO CASTITATIS VEXILLUM PRÆTULIT,
NON VIRGINIBUS SOLUM SED CONJUGATIS.

Hoc autem secundum indulgentiam, non secundum imperium. (Epist. I ad Cor. vii. 6.)— Accipe exempla conjugum, non e plebe, sed illustrium tam genere quam sanctitate et gloria, qui in conjugio continentiam et castitatem illibatam servarunt. *Primum* sit B. Virginis et Josephi, qui vexillum castitatis non tantum virginibus, sed et conjugatis erexerunt.

XVIII
301
2

4° IN EA FUIT CONJUNCTA VIRGINITAS ET FŒCUNDITAS.

(Vide supra ix. 649. 1.)

5° NONNISI UNICUM FILIUM, CHRISTUM SCILICET, PEPERIT,
NEC ULLOS POST EUM EX JOSEPHO.

Antequam convenirent. (Mat. i. 13.) — Puta ante congressum et actum maritalem, non quasi postea convenerint, ut inferebat impurus Helvidius qui negabat B. Virginem semper fuisse virginem, assereratque eam postea ex Josepho concepisse ac genuisse eos qui in evangelio vocantur fratres Domini, quem multis confutat S. Hieronymus, sed tantum ut indiceretur miraculosa Christi ex Virgine sine opera viri conceptio.

Sic vulgo dicimus : talis habuit canos antequam senesceret, significantes mirum esse quod viro nati sint cani, etiamsi is postea non senuerit, sed ante senium mortuus sit; significamus enim duntaxat quid factum sit ante senium, non quid in senio, vel

XV
64
2

post senium; illud enim velut impertinens tacemus et præferimus. Simile est cui dicimus: hic puer sapit ante virilem ætatem, hoc est præcocis est ingenii, etiamsi ante virilem ætatem moriatur, uti sæpe præcoces moriuntur.

Porro fratres Domini vocantur cognati Christi. Nam, ut ait S. Hieronimus, lib. *contra Helvidium*, fratres dicuntur quatuor modis: natura, gente, cognatione, effectu. Natura fratres sunt qui ex iisdem parentibus nati sunt; gente, qui ex eadem gente sunt oriundi; sic Paulus Judæos vocat fratres suos (Rom. ix, 1); cognatione, quia cognati vocantur fratres in Scriptura; affectu, ut cum Christiani amant se mutuo amore fraterno; hic est enim amor fraternitatis quem toties commendat S. Paulus.

XV
69
1

Et non cognoscebat eam, donec peperit, etc. (Mat. ii, 23.) — *Primo*, S. Hilarius citatus hic a S. Thoma in *Catena*, Dionysius Carthusianus et Gagneus sic, *q. d.*: sicut Judæi non potuerunt inspicere et cognoscere faciem Moïsis ob radios lucis, quos quasi cornua illi Deus afflaverat, dum cum eo colloqueretur in Sina, (Exod. xxxiv, 29 et seq.); sic ne Joseph poterat intueri et cognoscere B. Virginem utpote quæ Deum habebat in utero, ideoque facie erat radiantissima; nato autem Christo, fulgor hic et gloria faciei desinit, tumque a Josepho videri et agnosci potuit.

Secundo, e contrario S. Epiphanius, *hæresi* 30, quæ est Ebionæorum, sic exponit, *q. d.*: Joseph mente non cognovit, nec penetravit sanctitatem et dignitatem B. Virginis suæ sponsæ, donec ipsa peperit Christum. Verum hæc vel aliena sunt, vel symbolica et mystica.

Tertio, ergo, ad litteram genuine cognoscere conjugem in Scriptura significat copulam maritalem, sive actum conjugalem; hunc enim excludit a Christo, ut significet eum non ex Josepho, sed Spiritu sancto conceptum.

Donec. — Hinc inferebant hæretici: ergo postquam peperit filium, Joseph illam cognovit. Unde negabant B. Virginem semper mansisse virginem, eamque asserebant virginitatem perdidisse post partum. Ita Helvidius, Jovinianus, Ebionæi, cæterique Antidicomariani, quos confutat S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Augustinus et alii, qui docent *donec* duntaxat significare quid ante partum factum sit, non quid post partum; hoc enim ad hunc locum erat impertinens.

Instabis: S. Mathæus ait: « Donec peperit filium suum primogenitum », ergo alii deinde fuere ab ea geniti ex Josepho, scilicet qui in evangelio vocantur fratres Domini.

Resp. Nègo consequentiam; primogenitus enim in Scriptura, dicitur omnis is ante quem nemo est natus, etiamsi sit unigenitus, ut patet *Exodi*. iv, 22 et xiii, 2; *donec* enim *primo* negat tantum anteriores fuisse filios, nec requirit aut præsupponit posteriores extitisse: sic etiamnum primogenitus vocatur is qui est unigenitus.

Igitur B. Virginem semper mansisse Virginem dogma est fidei, ut patet Luc. i, 33; *Ezech.* xliv, 2, et ex consensu patrum omnium ac communi Ecclesiæ sensu, jugique traditione. Vide S. Hieronymum, lib. *contra Helvidium*, initio, tom. ii.

6° SEMPER ETIAM POST PARTUM MANSIT VIRGO.
(Vide supra. xv. 69, 1, 2.)

XV
315
2

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris (Mat. XII, 146.) — Quæres, quinam in evangeliiis vocantur fratres Christi?

Respondebat primo spurcus hæresiarchia Helvidius fuisse eos qui ex eadem matre B. Virgine post Christum erant nati. Negabat enim eam perpetuo mansisse Virginem; sed eum acriter et docte refellit S. Hieronymus, lib. *contra Helvidium*.

Secundo, Græci passim cum Eusebio, lib. II *Hist.* cap. I. et e Latinis S. Hilarius et Ambrosius quos citat Baronius in *apparatu annal.*, cap. XXVI, putant fuisse eos qui nati sunt ex priori matrimonio Joseph, antequam B. Mariam duxerit in conjugem. Verum Joseph non aliam habuisse uxorem, quam B. Virginem, ac cum ea jugiter mansisse Virginem, docent S. Hieronymus *contra Helvidium*, S. Augustinus serm. 14 *de Nativ.*, Theodoretus, in cap. *ad Galat.*, Beda, Anselmus, Rupertus, D. Thomas et passim alii latini hic; adeo ut B. Petrus Damianus, epist. II *ad Nicolaum romanum pontificem*, cap. IV, dicat hanc esse Ecclesiæ fidem.

Tertio, Hugo de S. Victore et glossa in cap. I, *ad Galat.*; Eckius, homil. *de S. Anna* (et favet Beda, *Act.* I), censent hos fuisse primogenitos ex S. Anna, matre B. Virginis; S. Annam enim præter Joachimum, ex quo genuit B. Virginem, duos alios habuisse maritos, ex quibus geniti sunt hi, qui fratres Domini vocantur. Verum S. Annam unicum tantum habuisse maritum Joachimum, et ex eo unicam prolem B. Virginem, docet S. Hippolytus apud Nicepho-

rum, lib. II. cap. III, idque multis probat noster Christophorus a Castro, lib. *de Deipara*, cap. I; et Baronius in *apparatu*, cap. XXVI et seq.; et Suarez, III part., quæst. XXVIII, art. I, disp. 5. sect. 4.

Dico ergo proprie non fuisse fratres Christi, nec ex B. Virgine, vel Josepho, aut S. Anna esse progenitos, sed dici fratres, id est consobrinos, patruales et cognatos Christi, phrasi Hebræis familiari: Nimirum erant hi cognati, aut vere fratres S. Joachimi vel S. Annæ, aut potius erant filii fratrum, vel sororum S. Joachimi, vel S. Annæ, puta filii Cleophæ, qui erat frater Josephi, sponsi B. Virginis, teste Hegesippo, qui fuit vicinus apostolorum ævo, apud Eusebium, lib. III *Histor.*, cap. XI. Joseph enim et Cleophas fuere filii Jacob, qui erat frater S. Annæ, de quo plura, cap. XIII, vers. 55 et Lucæ III, sub finem.

Audi S. Hieronymum hic: «Nos, ait, sicut in libro quem contra Helvidium scripsimus continetur, fratres Domini non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini, quæ esse dicitur Mater Jacobi et Josephi et Judæ.» Idem asserunt Isidorus, lib. *de Vita et morte SS. patrum*; Beda, super cap. I *Act.*; et Anselmus, *I. Cor.* IX. et *Gal.* I.

7° EJUS FORTITUDO ET DECORA MODESTIA.

Fortitudo et decor indumentum ejus. (Prov. XXXI. 25). — Hæc omnia..... facile est assignare B. Virgini. Nam ipsa juxta primum summæ pollebat mentis constantia et fortitudine; interius ac exterius

pari modestia et decore in omnibus nutibus, actibus, loquelis et gestibus, juxta illud *Psal.* XLIV : *Omnia gloria filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

Secundo, juxta secundum excellebat omni virtute et probitate : habebat enim omnes virtutes in actu heroico, prout decebat matrem Dei ; vide dicta cap. VIII, 14, ad illa : *Mea est fortitudo.*

Tertio, juxta tertium, ipsa ejus corporis species simulacrum erat mentis, figura probitatis. « Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, » ait S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*

Audi S. Bonaventuram in *Specul.* B. Virg. lect. 2, ex S. Bernardo : « Non sic, ait, timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut potestates Mariae vocabulum, patrocinium, exemplum ; fluunt et pereunt sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. »

Et D. Bernardus, *serm.* 51, art. 3, cap. II : « Sicut magnus ignis effugat muscas, sic ab ardentissima Virginis mente et inflammatissima charitate effugabantur daemones, et pellebantur in tantum, quod solum in modico non erant ausi respicere mentem ejus, nec de magno spatio illi propinquare. »

Et Richardus Victorinus, cap. XXVI in *Cant.* : « Virgo, ait, tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere eamque tentare non praesumpserint ; deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes et fervor devotionis ; stupebant immunem a peccatis. »

8° DELECTATUR HONESTATE.
(Vide supra. IX. 649. 4, 2.)

IX. — Ejus mortificatio et silentium.

1° MORTIFICATIONI FUIT ADDICTA.

Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. (Eccli. XXIV. 20) — Tigurina, *ut praestantissima myrrha suaviter redolevi ; Syrus, sicut myrrha electa suavem reddidi odorem.*

IX
645
4

Plinius, lib. XII, cap. xv, scribit myrrham esse arborem, id est arbustum altum quinque cubitos, spinosum, condice duro et intorto, crassiore quam thuris, cortice levi, folio olivæ, sed crispiori et aculeato, juba olusatri, quæ bis per annum inciditur, ut resina, puta liquor myrrha defluet. Sudat autem, inquit, sponte priusquam incidatur, quæ vocatur stacte, sive lacryma myrrhæ, eaque myrrha est praestantissima : sicut inter aliarum arborum resinas, lacryma quæ sponte fluit est optima ; ac inter vina, lacryma quæ ex uvis maturissimis sponte distillat, est sapidissima.

Myrrha notat sapientis mortificationem, quæ parit in anima miram Dei consolationem et suavitatem, quasi aroma myrrhæ suavissimi odoris : hæc animam a putredine vitiorum servat incorruptam, sicut myrrha corpora defunctorum servat incorrupta. Ita Rabanus. Rursum myrrha est compunctio suaveolens Deo, et lacrymæ cordis compuncti ; unde myrrha hæc extat enigma et hieroglyphicum :

*De lacrymis, et pro lacrymis mea caput origo,
Ex oculis fluxi. sed nunc ex arbore nascor :
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.*

Myrrha excellit B. Virgo ; unde de ea dicitur *Cant. III : Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii ?* In thure enim oratio sursum ascendens, sicut in myrrha amara carnis mortificatio, insuavis illa quidem, sed contra vitiorum putredinem apprime utilis, quæ orationem ut sit efficacior comitari debet, adumbrantur.

2° VITAM EGIT RIGIDAM ET AUSTERAM.

Et panem otiosa non comedit. (Prov. XXXI. 27). — Symbolice.... hæc applices B. Virgini, cujus severa et rigida fuit vita in jejuniis, orationibus, lacrymis, persecutionibus, doloribus, passionibus.

Unde S. Bernardus in *Meditat. super Salveregina* : « O certe vita, inquit, amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis ! O vita quæ nutris tuos cœlestibus alimentis ? qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata quæque contemnat ; et qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit. »

Huc facit quod S. Brigitta narrat B. Virginem sibi revelasse, nullam se gratiam a Deo accepisse, nisi prævio magno labore, precibus et lacrymis, ideoque eandem hortatur ac quosvis fideles, ut iisdem mediis gratiæ dona sibi procurent ; non enim aliam esse viam ad gratiam, quam mortificationem et crucem.

3° SECRETUM SEMPER CAPTAVIT, ET PAUCILOQUA FUIT.

Sit autem homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. (Epist. Jacobi. I. 19.) — Sic et B. Virgo pauciloqua fuit, adeoque paucissima ejus verba in totis Evangelii invenies : audiendi vero fuit avida, præsertim Christum.

Unde de ea ait Lucas, cap. I, vers 51 : *Mater ejus (Jesu) conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Sic et Magdalena tota intenta erat audiendis Christi sermonibus in silentio, ideoque a Christo dicitur optimam partem elegisse, *Luc. X, 42.*